

EPISTOLARUM

A B


ERUDITIS VIRIS

A D

ALB. HALLERUM

SCRIPTARUM


PARS I.



Latinae.



VOL. III.



EPISTOLÆ 405. ad 670.

SCRIPTÆ AB ANNO MDCCXLIX.

AD ANNUM MDCCLV.



BERNÆ.

Sumptibus Societatis Typographicae.

1774.

Vale, meque favore tuo ulterius prosequere.
17 $\frac{8}{2}$ 51. Petropoli.

Quod Tibi Nobiliss. D. D. Tralles Vratislaviensem meliore de nota commendem, id facio, ut ipsius voluntas hac in re obsequar. Nemo enim Te melius novit præclara ipsius in rem medicam merita. Iterum vale!

501.

G. A BUNAU.

Locum inter eruditos tuos sodales, quem illustris Societatis nomine tam humaniter & benevole mihi obtulisti, amantissime Hallere, lubentissime, profecto, in me suscipio. Peculiaris tui erga me affectus & amicitiae insigne *τεκμήριον* hic agnosco, idque animo gratissimo. Te enim Auctore atnam Suasore hunc mihi decretum esse honorem nullus dubito, imo confido. Avidissime igitur exspecto Diploma vestrum acceptissimos illos amoeni officii codicillos. Et quamvis mediocritatis meae nimium quantum sim conscius, curabo tamen, ne, quam in me conferre voluistis, dignitas, quieta plane, ut cum Cassiodoro hic loquar, sit, & otiosum cingulum.

Progressus, quos doctissima Societas per singulos menses feliciter facit, vobis gratulor gaudeoque Te, Vir Illustris, tam docte facem prætulisse eruditis sociis. Ejusmodi exemplum & lucem accendit & animos, nobili æmulatione alias

jam calentes. Cæterum valde optarem, ut legere mihi liceret, quæ egregie de Androgynis es commentatus. Hermaphroditos ego quidem semper pro monstro potius vel si mavis pro ostento habui. Dari enim, qui utrive sexui possint inservire, vix credo; qui vero uno saltem prævalet, androgynus dici non meretur, sed potius, uti vocat Lucianus, ἀμφιβολον ἀνιγμα διπλῆς φύσεως. Eleganter in Anthologia Hermaphroditus dicitur habere: μαζους σφρυγοώντας, καὶ σχῆμα φυτοσπόρον ἀρσενος αἰδῶς, ξυνῆς ἀγλαΐης κεκεραμένα σημάτα.

De elephanti ossibus quod dubitas, Tecum sentio. In nostras enim frigidas oras quemadmodum vel olim pervenerit ejusmodi animal, vix hariolatione est assequendum. Qui omnia inextricabilia diluvio magno tribuunt, forte huc recurrent. Ast ego hisce nugis non faveo. Reperitus jam circa finem præteriti seculi dens fuit animalis cujusdam immensi & incogniti propter Brunsvigam, quem elephanti fuisse vulgus tunc temporis voluit. Ast & hanc conjecturam recte in dubium vocavit Leibnitius, uti patet ex epistola hac de re ad Reginam Borussæ gallice perscripta, quam exhibet Ludovici in Historia suæ Philosophiæ Leibnitianæ, P. II. p. 205. Inclinat vero potius eo, ut bovis marini, quales in Mari Balthico conspectos quandoque esse testatur, dentem declararet, utut incertus adhuc hæserit & circa hanc sententiam. Cur *Boves Lucas* Itali olim dixerint elephantos, vellem ex Te scire. Solini enim

enim explicatio hujus appellationis, & cui inhæret quoque doctissimus ejusdem commentator, ὁ πρῶτος Salmarius in Oceanò suo eruditionis, mihi profecto non arridet. Quid enim, si nos vel hodie Rhinocerotem, quod primum Germani in Rhætia hoc animal viderint, ursum rhæticum vocaremus? Inepta foret hæc a loco, nec animantis originario desumpta denominatio. Nec placet, quæ hanc in rem Salmasius pro explicanda voce *Lucas* profert, utut mire & docte uti solet, quandoque, se torqueat. Num forte boves Lybicos, & post contracte Lykos & Lucas dixerint Itali, nil definitio. Interim ridicula omnino & false ridenda est Baronii Cardinalis conjectura, cujus & meminit Salmasius l. c. ad cap. 25.

Cl. Kæstneri dissertationes quid docti argumenti contineant, scire vellem; ab hoc præclaro ingenio nil nisi exquisiti proficisci poterit. Vir est profecto multifcius, & elegantioribus litteris insigniter tinctus, & Mathematicus humanior; nec uti plerisque his absconditis scientiis dediti reperiuntur contracti supercilii.

De numero & Membris reliquis omnibus Societatis egregiæ proxime ut mihi quoque scribas, rogo abs Te atque peto. Quod superest, vale, Amicorum Optime, & me amare perge. Dabam Cellis Luneburgic. d. 15. Junii 1751.

J. F. MECKEL.

Plurimum amicitiae optimus mihi monstrat Thierry, humanissimus homo, plurimum Te & reverenter amans, Teque valde salutans. Maximas Tibi gratias ago, qui tam bonum virum mihi hic amicum tua commendatione dederis. Petitus quem vidi, diligentissimus est, ac prudens homo, qui magis anatomiae insudavit, ac Ferreinius, quippe qui Chirurgo labores dissectionesque relinquit. Multum anatomia & valde laborat, quippe & boni docentes & cadavera & alia necessaria requisita defunt. Levretus multum clamat, sed non æque bene; portenta promittit, & mus nascitur; qui mos pluribus hic valde communis est. Melius tamen Levreto in obstetricia arte judicat Petitus, certe bonus & doctus vir, in lectione Collegiorum multum occupatus. Conventui Academiae scientiarum interfui, sed non placet nimia garrulitas, & perpetui clamores. Nosocomia magna, nimis referta, male sæpius curata. Medici Delphini Regii fuerunt DuMoulin & Pouffe, qui pro præmio quilibet 15000. lb. argenti in donum & quotannis 4000. lb. argenti acceperunt, & familia Domini Pouffe nobilitata simul est. Valet enim nunc Delphinus, & multa hanc ob causam hic fient solemnia.

Parisis d. 20. Augusti. 1752.

Plurimum de me Dnum. Professore Hollmannum salutes rogo, cui lætas annunties, me vidisse hic Rhinocerotem, comparasse dentem molarem, quem mihi dedit simillimus est, & nonnisi magnitudine differt, anteriores æque magni, sed posteriores molares majores sunt, simillimi certe. Majores Dnus. Hollmannus apud se habet. XXVIII. sunt ejusmodi dentium molarium brevium & lata corona donatorum, in superiori & inferiori maxilla, & 4. incisivi latissimi simillimi illi quem secum habet; eorum 2. superiori 2. inferiori maxillæ insident, a se invicem duorum vel trium pollicum distantia sejuncti. Distantia eorum a molaribus 3. pollicum est. Expressere figuram cera impossibile est, nam periculosum est immittere ori manus, conterit enim omnia inter dentes posita, neque depingi possunt, quia nimis retrorsum reconditi dentes nonnisi aliqua momenta temporis videri possunt, dum os aperit, ad panem capiendum. Sed certissimus de similitudine dentium esse potest, centies enim inspexi.

583.

G. L. HOFFMANN.

Ignoscas, rogo, Vir Clarissime, homini plane ignoto, libertatem, qua ardua officiorum tuorum negotia interpolare ausim. A plurimis jam annis scriptorum tuorum, & præcipue in summum Boerhaavium editorum, cultor ac admirator, plus Tibi debeo, quam calamo meo depingere valeo,
a longo

a longo quoque tempore summo desiderio flagrabam, quo Tibi Viro Doctissimo de beneficio innumeris in rem medicam, & inde in me collatis, gratissimam memoriam, pro virium tenuitate, testarer; animoque volvebam, si in uberrima praxi, vel cadaverum sectionibus, aliquid, in arte novi, observare liceret, Tibi id offerre. Adversa vero fortuna contigit insolita & rariora quædam, aut nova & attentione tua digna nulla videre, quin ab aliis jamjam descripta essent. Inde ne nimis Tibi audaculus viderer, pia desideria mea in pectore adhuc continuissim, nisi ex doct. viro Keck Ser. Duc. Brunsw. Medico Aulico, studiorum olim Commilitoni, & Amico integerrimo (quo cum de incredibili studio tuo & opera tam in colligendis, quam edendis & illustrandis Boerhaavianis operibus verba sererem) cognovissim, Te Virum Clarissimum, totam gentem medicam chartis publicis commonuisse, ut, quæ optimi Magistri consulta vel observationes possiderent, Tibi communicando, ab interitu vindicaret.

Jam ab aliquot annis penes me sunt apographa epistolarum a summo nostræ artis Magistro Viennam ad Cel. Bassandum datarum, quæque ex benevolentia Doct. Tonson, apud Bruxellenses Medico felicissimo, possideo. Sunt 1°. Consilium contra dysenteriam & febres castrenses in exercitu Cæsareo tunc grassantes, datum L. B. 17 $\frac{26}{4}$ 17. 2°. duæ litteræ familiares, quibus adjunctum alterum in Dyfent. pannonica consilium,

lium, jam libellus de morbis oculorum, editioni Parisinæ, ni fallor a Cl. Senaco, adjectum. 3^o. est, sat prolixum consilium in Plethoram, & ex alia emerfa symptomata, quibus Bassandus ipse conflictabatur, in eadem continetur methodus fusè descripta variolas curandi, data L. B. 17 $\frac{2}{3}$ 24. Hæc e variis apud Bassandi hæredes restantibus chirographis Boerhaavianis excerpta sunt. Dictio nervosa, ac styli puritas, ne minimum genuitatis dubium relinquit, & hæc quoque sunt, quæ, si forsan in manus tuas non adhuc incidierint, Tibi quam humillime offerre audeo.

Ne epistolam hancce, barbaro etsi stylo conflata, nimis gravarem, descriptiones dictas non addidi, sed paratissimus semper ero, illas ad mandata tua transmittendi. Utinam aliud quidpiam in me esset, quo gratissimum erga Te Virum clarissimum animam exhibere, & benevolentiam tuam demereri possem.

Vive diu, Vir doctissime, Patriæ ac Seculi Decus in artis salutaris incrementum. Vale favoremque tuum impertire.

Trajecti ad Mosam 1. Sept. 1752.